



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 1. Quorumdam Parochorum oppositio contra Parisiensis Archiepiscopi decretum.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)



*Epistola S. Augustini a P. P. Benedictinis
recens inventæ.*

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.
LIBER CCXXVII.

CLEMENS XII. PONTIF. MAXIM.
CAROLUS VI. ROM. IMP.



§. I.

*Quorundam Parochorum oppositio
contra Parisiensis Archiepiscopi
decretum.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1732.

Jam supra memoravimus, infames pa-
gellas sub titulo *Nouvelles Ecclesiasti-*
His. Eccles. Tom. LXXIV. A *ques* 73. p. 468.

Vid. Tom.

Sec. XVIII. *ques* seu novellas Ecclesiasticas a Cas-
 A. C. 1732. rolo Casparo de Vintimillia Parisiensi
 Archiepiscopo fuisse proscriptas. Hujus
 Præsulis Zelum imitabatur ipsum etiam
 Parisiense Parlamentum, quod die vi-
 gesima octava Aprilis circiter nongenta
 hujus scripti exempla a carnifice lace-
 rata in publico Urbis foro comburi
 reosque severe castigari jussit: eoquod
 illarum Auctores, quo magis adhuc
 incogniti essent, eo majori petulantia
 in suis latebris tam Sacram quam pro-
 fanam auctoritatem pudendis convitiis
 ac probris laceffere præsumerent; quip-
 pe non modo summum Pontificem,
 atque Episcopos velut conjurationis
 contra Religionem conflatæ Auctores
 & complices convitiabantur, sed Regii
 etiam solii Majestatem aggressi, Regem
 ceu vile Ministrorum suorum manci-
 pium, ac veritatis hostem traducebant.
 Verum, quis credat, quantumvis hoc
 scriptum infamiæ stigma in fronte ge-
 reret, non deerant tamen, qui illud
 ore & calamo defendere non erubescer-
 ent, & quidem, quod magis propu-
 diosum est, Ecclesiastici imo & Pa-
 rochi dignitatis suæ characterem pro-
 broso ejusmodi studio contaminare non
 dubitabant, cum tamen hi potius sta-
 tus ac Ministerii sui officio adstricti,
 ceteris priores imperterrito animo, ac
 Zelo

Zelo Apostolico sese maledicis ejus-
 modi rapsodiis veritati, Religioni & Sæc. XVIII.
A. C. 1732.
 charitati tantopere injuriosis opponere
 debuissent. Ex his circiter viginti
 septem erant, qui ausu prorsus indigno
 non modo, uti ab Archiepiscopo jussi
 erant, ejusdem decretum ac censuras
 e suggestu promulgare detrectarunt,
 sed aucta etiam temeritate remisso ad
 Pastorem suum decreto palam adver-
 sus illud protestati, suamque agendi
 rationem vindicare conati sunt. Ob-
 stupuit Archiepiscopus ad horum au-
 daciam; spe tamen fretus, Viros scien-
 tia & prudentia præditos facile ratio-
 num pondere & moderationis via ad
 officium redigi posse, ad petitionem sui
 Promotoris aliud decretum ad eos
 transmisit, vi cuius ipsis denuo injun-
 ctum, ut censuram ab Archiepiscopo
 pronuntiatam promulgarent: Attamen
 hi in sua pervicacia obfirmati, ut cen-
 surarum severitatem declinarent, ipsum
 Præsulis sui decretum apud Parisiense
 Parlamentum denuntiarunt.

§. II.

*Parlamenti sententia contra Archi-
 episcopi Parisiensis edictum.*

Horum Sacerdotum causam ac pro-
 tectionem a Parisiensi Parlamento
 A 2 suscipi,